

Hæc impedimenta ex his criminibus orta, teste Nav. et aliis DD. generali consuetudine sublata sunt, ac proinde hodie quatuor sunt impedimenta: *Ecclesiæ vetitum, feriæ, sponsalia, votum.*

Hactenus de impedimentis matrimonii; nunc agetur de ejus effectibus, qui respectu matrimonii validi sunt: legitimitas prolium, indissolubilitas, acquisitio dotis et donationis propter nuptias: et e contra respectu matrimonii invalidi, est illegitimas prolium, matrimonii accusatio, dissolutio, perditio dotis aut donationis propter nuptias: et tandem liber iste concluditor titulo de secundis nuptiis.

## TITULUS XVII.

### QUI FILII SINT LEGITIMI.<sup>a</sup>

106. *Nota, nomine filii et filiorum in materia accomoda venire etiam filiam et filias (lib. 116. et 122. et 201. ff. de v. s.) Sunt autem filii:—1.º Alii veri seu naturales, qui per generationem carnalem procedunt: alii ficti seu legales, qui à lege finguntur esse instar filiorum, sicut adoptivi et spirituales ex baptismo aut confirmatione.—2.º Veri, vel sunt legitimi seu justis, qui ex justis nuptiis procreati sunt, atque ita eorum nativitas approbatur à lege seu jure: vel illegitimi, qui extra justas nuptias procreati sunt; adeoque eorum nativitas non approbatur. Et hi dividuntur in naturales tantum et spurios Naturales seu bastardi sunt, qui nascuntur ex parentibus solutis, inter quos matrimonium consistere potuit. Spurii, qui nascuntur ex parentibus, inter quos matrimonium consistere non potuit, uti sunt adulterini ex adulterio: sacrilegi ex copula sacrilega religiosi aut religiosæ monialis: incestuosi ex incestu consanguineorum vel affinium: nefarii ex ascendentibus et descendentibus progeniti (§. 1. In. de nupt. auth. ex complexu C. de incest. nupt.) Geniti ex clerico in sacris constituto et soluto probabilius inter spurios sacrilegos referendi sunt propter votum solemne castitatis, licet dicantur ex fornicatione nati (c. 12. d. 81. et cap. 6. de bigam.), quia fornicatio tanquam terminus genericus ex subjecta materia determinatur ad certam speciem. De jure civili naturales illi tantum dicuntur, qui ex concubina nati sunt; si verò ex meretrice, inter spurios à quibusdam numerantur. Sed in hoc puncto observanda est doctrina juris Canonici, quæ naturalibus filiis omnes eos accenset, qui nati sunt ex parentibus habilibus ad matrimonium inter se ineundum.*

107. Q. I. *Qui filii habeantur pro legitimis, seu justis?*

R. 1.º Non tantum concepti et nati ex nuptiis justis, sed etiam illi, qui ex fornicatione concepti sunt, et nati jam post contractum matrimo-

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Decreto Canon. 3. d. 26. et Can. 8. cum seqq. 32. q. 4. et Can. un. 35. q. 7.—In Codice lib. 5. tit. 27. et nov. 89. cap. 8.

nium, etsi hoc una tantum hora nativitatem præcesserit: ita com. ex lib. 11 v. et multò magis Cod. de natur. liber.; quæ lex usui et praxi recepta est à jure Can. per 1 de N. O. N. Nam illi sunt filii legitimi seu justis, quorum nativitatem jus humanum approbat: siquidem legitimitas prolium non est effectus juris naturalis, sed creatura juris positivi volentis alios haberi pro legitimis, alios pro illegitimis; sed jus cit. 7. 11 approbat nativitatem eorum, qui concepti sunt ex fornicatione, et nati jam constante matrimonio; ergò.

2.º Filii nati ex parentibus conjugatis, voto simplici castitatis adstrictis, per omnia sunt legitimi, quia votum simplex non impedit valorem matrimonii; si verò parentes sint soluti, filii sunt naturales, et non spurii, ob eandem rationem.—II. Si uterque de mutuo consensu, vel alter parentum professus est Religionem, vel sacros ordines suscepit, et deinde convenerunt, proles inde nata habetur pro illegitima in ordine ad suscipiendos ordines et beneficia Ecclesiastica (cap. 14. de fil. presbyt.); sed quoad successiones hæreditarias et alios effectus habetur pro legitima, cum nata sit ex parentibus legitimo matrimonio jam consummato conjunctis, quod matrimonium per professionem religiosam non dissolvitur.—Secus, si alter eorum post matrimonium ratum profiteretur; quia tunc soluto per professionem matrimonio, sequens copula non esset conjugalis.

3.º Proles nata ex matrimonio putativo publice et bona fide contracto, est legitima in utroque foro civili et canonico, licet postea detegatur impedimentum dirimens: ita comm. ex cap. 2. h. t., ubi nativitas talium prolium approbatur; quia bona fides quoad forum internum, et publicus contractus quoad forum externum, sicut excusat à copula fornicaria, ita purgat notam illegitimitatis; idque etiam favor liberorum exposcit. At si defuit bona fides in utroque conjugate, cum sine illa justa possessio et jus utendi non acquiratur, vel si matrimonium clam et sine denuntiatis fuit contractum, proles habetur pro illegitimis, ut dixi tit. de cland. desponsatione. Nam. cit. c. 2 et 14, h. t. utrumque requiritur, et publicitas et bona fides. Data resolutio locum habet in seqq. casibus.—I. Si dubium de valore matrimonii supervenit ei contracto, et veritas deprehendi non potuit, quia dubium superveniens non tollit justam possessionem, ex trito Can. 5. si virgo 44, quest. 2. Secus si dubium antecedens fuit, non præmissa diligenti investigatione, vel si dubium superveniens sublatum est per certam notitiam impedimenti dirimentis: tunc enim proles postea conceptæ ex defectu bonæ fidei habendæ sunt pro illegitimis.—II. Si unus conjugum fuit in bona, et alter in mala fide, proles habetur pro legitima, ut si soluta ignorans alterum esse conjugatum, publice cum eo contraxit (c. 14. h. t. c. fin. si quis de cland. despons.); nam ne proles sit partim legitima, partim illegitima, speciali favore juris habetur pro legitima ad hæreditates, officia ecclesiastica etc. Imò in dubio, favore prolis, præsumitur potius ignorantia, quam scientia impedimenti. An verò legitimitas prolis prosit parenti mala fide contrahenti, ut ei suc-

eedere possit, controvertunt DD.: affirmantium opinio videtur probabilior, cum talis proles dicatur absolutè legitima, non verò tantum respectu unius parentis.—III. Si error juris intervenit in contractu matrimonii, non obest legitimitati proles, quia non tollit bonam fidem; ut si Cajus cognovit sororem sponsæ, et ignoravit affinitatem inde consecutam esse impedimentum dirimens matrimonii: ita Gregor. XIII ad quæst. Maronitarum respondit, legitimum esse filium natum ex secundo conjugio, quod pater ejus ab uxore adultera divertens contraxit: quia bona fide putavi id sibi licere: tum quia ignorantia juris, licet non prosit ignorantia, tamen aliis, uti prolibus nocere non debet; tum denique quia ignorantia juris, licet impediatur bonam fidem civilem ad quosdam effectus, ut usucapionem, tamen non impedit bonam fidem theologiam, quæ spectatur in matrimoniis, quibus sola ignorantia affectata nocet (*cap. fin. §. si quis, de cland. despons.*)—Ex his soluta manent argumenta contraria ex *reg. 13 in 6 lib. 9, ff. de J. et F. Ign., lib. 31, ff. de usurpat. et c. 4.* Si ex matrimonio publicè et bona fide contracto, et lite super valore ejus contestata, proles concepta est ante sententiam latam, habetur pro legitima (*cap. 2, h. t.*) Nam lite pendente, conjuges non sunt privandi commodo suæ possessionis; imò carnale commercium eis permittitur (*c. 2 ut lit. pend.*) Nec hinc procedit *lib. 25, §. 7, ff. de hæred. petit., lib. 22. C. de R. V.*; nam litis contestatione inducitur mala fides ficta, seu civilis quoad fructus pretio æstimabiles, qui restituendi sunt victori; non verò quoad alia commoda et fructus pretio non æstimabiles; uti est generatio proles, præsentatio, electio etc.

4.º Proles natæ ex parentibus infidelibus, qui ignoranter et bona fide contraxerunt cum impedimento dirimente juris naturalis, sunt legitimæ, quia bona fides purgat vitium natalium; secus si scienter contraxerunt. Impedimenta verò juris Canonici non faciunt proles illegitimas infidelium (*cap. fin. hoc tit.*)

5.º Filius natus ex muliere, quæ sæpius adulterio polluta est, si interim maritus cum illa congressus fuit, habetur pro legitimo: neque credendum est parentibus contrarium affirmantibus; nam favor liberorum exigit, ut præsumantur ex marito potius, quam adultero geniti (*lib. 11, §. 9, ff. ad L. Jul. de adult.*) Secus esset, si ob longam absentiam, vel similem causam certo constaret prolem esse ex adultero genitam (*cap. 4, h. t. l. 6, de his, qui sui.*)—II. Natus ex vidua decimo mense, vel ad initium undecimi, habetur pro posthumo legitimo (*lib. 29, Gallus princ. ff. de lib. et posthum.*), quia nativitas ad tot menses extendi, vel ad octo, aut initium septimi mensis constringi et accelerari potest (*lib. 12, ff. de stat. hom., l. 3, §. 12, ff. de suis, et legit.*)—His non obstat *Nov. 39, c. 2*; procedit de undecimo mense completo, vel ad finem vergente.

108. Q. II. *Qui sint effectus legitimitatis prolium.*

R. Seqq.:—I. Proles quoad familiam, gentem, nobilitatem et dignitatem sequuntur conditionem patris, non matris (*lib. 12, ff. de statu*

*hom.*), et ideo nati ex patre nobili et matre ignobili succedunt in feudis, et apti fiunt ad officia qualitatem nobilitatis exigentia, nisi desideraretur utriusque parentis.—II. Fiunt capaces ad ordines, dignitates ecclesiasticas et politicas.—III. Habent jus hæreditariæ successio- nis ex testamento et ab intestato, uti etiam in fideicommissis, majoratibus, primogenituris etc.

Hæc de legitimitate: nunc de legitimatione prolium.

109. Q. III. *Quid et quotuplex sit legitimitatio prolium?*

R. 1.º Legitimitatio est speciale beneficium juris, quo liberi illegitimi efficiuntur legitimi (§. *fin. In. de nuptiis*); nam sicut legitimitas, seu justa nativitas est creatura juris humani, ita quoque legitimitatio liberorum ab eodem jure proficiscitur.—2.º Legitimitatio est triplex: *per subsequens matrimonium* inter parentes illegitimi filii contractum; *per rescriptum principis*, dum princeps precibus rogatus illegitimis restituit legitimitatem natalium, ac si à principio nati fuissent legitimi; *per oblationem curiæ*, qua filius illegitimus ad officia curialia oblati efficiebatur olim legitimus. Hic modus legitimandi in desuetudinem abiit; quia officia curiæ politicæ hodie sunt honorifica, quæ olim probro ducebantur, adeò, ut clerici degradati pro sua pœna ad servitia curiæ traderentur, ut insinuant antiqui Canones (*Can. 18. si quis sacerdotum ll. q. 1. etc.*)

110. Q. IV. *Quod matrimonium habeat vim legitimandi illegitimos?*

R. 1.º Matrimonium de se validum: ita de jure *Can. cap. 6. hoc tit.*, et de jure *civ. l. 6. 10. II. Cod. de natural. liber.*, idque specialiter concessum est ob favorem matrimonii, quod retrotrahitur, et fictione juris censetur tunc celebratum fuisse, dum proles concepta et nata fuit, quasi copula non fornicaria, sed conjugalis fuisset.—2.º Matrimonium putativè justum in facie Ecclesiæ contractum, licet ob latens impedimentum in se sit invalidum (*argum. c. 2. et 14. h. t.*); nam tale matrimonium retrotrahitur; ergò sicut ex illo nata proles fuisset legitima, ita per illud deinde contractum legitimitatur.—3.º Matrimonium post multos annos et intermedia matrimonia celebratum; quia jura citata indistinctè loquuntur. Unde si Cajus ex fornicatione cum Berta habita suscepit Titium, deinde, successivè contraxit matrimonium cum Mævia et Flavia, et tandem his mortuis, post annos, v. g. quadraginta, nuptias inivit cum Berta, per hoc matrimonium legitimitatur Titius. Porrò ad istam legitimationem sufficiunt ea, quæ ex jure *Can.* requiruntur ad matrimonium; adeòque non sunt necessaria instrumenta dotalia, quibus dos et donatio propter nuptias constituitur (*nov. 74. cap. 4.*), licet olim de jure *civ.* requirerentur pro concubinariis, ut palam constaret, quod à concubinato cessaverint: quo sensu procedit §. *fin. Inst. de nupt. nov. 89. cap. 8.* ibi: *Si quis igitur dotalia scripserit* etc. Hodie igitur plus non requiritur, quam ut præmissis denuntiationibus, matrimonium coràm parochi et testibus contrahatur.

111. Q. V. *Qui filii possint legitimari per subsequens matrimonium?*

R. 1.º Regulariter soli filii naturales orti ex parentibus, inter quos

matrimonium consistere potuit: ita com. ex cap. 6 hoc tit. Unde nullus ex spurii per se loquendo est subjectum legitimationis matrimonialis: quia jus favorem istum ob justas causas noluit extendere ad spurios. Sufficit autem, ut quis sit filius naturalis putativè, licet re ipsa ob latens impedimentum sit spurius; nam sicut matrimonium putativè justum habet vim legitimandi, ut antè dictum, ita quoque filius putativè naturalis habet aptitudinem ad recipiendam hanc legitimationem.

2.<sup>o</sup> Ut proles legitimetur per subsequens matrimonium, sufficit parentes fuisse habiles ad contrahendum, vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio: ita Covar., Barbos., Schmier. et alii contra Bald., Sylv., Garc., Kees etc. Prob. ex lib. 11 nuper C. de natur. liber., ubi Imp., per se et principaliter disponens de legitimatione liberorum per subsequens matrimonium, in fine subdit: *In questionibus, in quibus de statu liberorum est dubitatio, non conceptionis, sed partus tempus inspiciendum: et hoc favore liberorum, exceptis his tantummodo casibus, in quibus conceptionem magis approbari infantium conditionis utilitas exposulat.* Idem expressè disponitur in nov. 89 c. 8. ibi: *sancimus* etc. et arg. lib. 5. 7. ff. de statu hom., ubi ad libertatem partus dicitur sufficere, quod mater fuerit libera quocumque ex tribus temporibus, vel conceptionis, vel intermedio, vel nativitatis. Ratio est, quia jura concedentia matrimonio vim legitimandi sunt favorabilia; ergò rectè intelliguntur de parentibus, si saltè tempore natæ prolis sint habiles ad contrahendum: ut si Titius commisit adulterium cum Berta, et antequam nascatur proles, uxor illius moriatur; tunc enim cùm nascitur proles, habilis est ad matrimonium cum Berta inendum.—Nec obstat cap. 6. hoc tit. et l. 6. C. de suis et legit. l. 11 ff. de statu hom.; nam cap. 6. procedit de suscepta seu nata prole, vivente uxore legitima. Ex *ll. cit.* non constat, an priùs matrimonium putativum convalidatum fuerit: et his legibus prævalet recentior constitutio Justiniani pro nobis allegata.

3.<sup>o</sup> Nepos ex filio naturali legitimè natus, respectu avi legitimatur per matrimonium avi et avia, sive filius iste vivat, sive jam mortuus sit: ita Covar., Gonz. et alii contra Decim, Bald. etc. Prob. ex regula generali desumpta ex c. 6. h. t. et similibus; nam matrimonium avia retrotrahitur ad tempus copulæ; sed si tunc constitisset, legitimasset nepotem respectu avi; ergò et modo illum legitimat, quamvis per accidens non legitimet filium, utpote jam præmortuum: tum quia adoptio facit adoptatum fratrem defuncti filii (lib. 5. ff. de grad. et aff.); ergò etiam matrimonium avi facit nepotem ex filio præmortuo legitimum avo: et cons. jure repræsentationis nepos succedit in bona avi.

*Dices*:—I. Non potest nepos legitimari, nisi priùs legitimetur filius naturalis: sed in hoc casu filius naturalis, utpote præmortuus non potest legitimari: ergò neque nepos.—II. Hæredes liberti non liberantur à præstandis domino operis, licet liberaretur pater, si vivens duos vel plures haberet filios (lib. 37. §. 7. ff. de oper. libert.); ergò

etiam non legitimatur nepos, etsi pater illius, si viveret, legitimaretur, et ita legitimationem transfunderet in nepotem.

R. N. M. Nam vis legitimandi non est attributa filiis, sed ipsi matrimonio; ergò matrimonium quodcumque contrahatur legitimat omne, quod reperit legitimabile; ergò cùm præmortuo filio, reperiat nepotem legitimabilem, etiam illum legitimat et idoneum facit ad hæreditatem avi. Ex quo patet disparitas ad II., quia liberatio ab operis proficisci debet ab ipso patre liberti, ex dispositione juris; econtra legitimatio procedit à filio naturali, sed à solo matrimonio. Sic etiam solvitur arg. ex l. 7. §. 1. ff. de L. P. R. l. 44. ff. de adoption.

4.<sup>o</sup> Spurius, qui natus ex parentibus inhabilibus ad matrimonium legitimari potest per dispensationem Papæ in radice matrimonii, dummodò impedimentum sit solius juris ecclesiastici: ita Abb., Joan., Andr., Covar., Schmier., Schmalz. et alii contra Navar., Perez., Connik etc. Prob. Si Papa à principio dispensasset in impedimento dirimente, v. g. consanguinitatis, matrimonium fuisset justum inter consanguineos, et proles ex eo genitæ fuissent legitimæ; ergò etiam, si post illud contractum dispenset in tali impedimento, spurius ante dispensationem genitus, fiet legitimus, ac si ex matrimonio justo natus fuisset: tum quia talis dispensatio retrotrahitur ad radicem, et primum tempus matrimonii, cùm vis retrotractiva Papæ denegari non possit in legibus irritantibus, et dispensationibus, ut frequenter videmus in Bullis Pontificiis; tum quia Papa tollere potest omnes effectus consequentes ex actu, qui jure Pontificio fuit invalidus (*Clem. unic. de immun. Eccles.*); ergò etiam tollere potest illegitimitatem spurii consequentem ex matrimonio de jure Pontificio invalido; quod olim licuit etiam principi romano; lib. 57. §. 1. de ritu nuptiar., ubi ex dispensatione retrotractiva pronunciantur liberi legitimi, qui nati erant ex matrimonio Flaviæ Tertulæ, et avunculi sui de jure civili invalido. Exempla retrotractionum habes lib. 26. ff. de stipulat. serv. lib. 11. ff. qui potior. in pign. lib. 78. ff. de V. O.—Porro, ut hæc dispensatio sumum habeat effectum, duo concurrere debent:—I. Ut matrimonium fuerit actu contractum, licet invalidè; alioquin spurius natus ex solutis per hanc dispensationem legitimari non potest, sed opus est legitimatione per rescriptum.—II. Ut impedimentum non fuerit juris naturalis: v. g. ligamen, in quo Papa dispensare non potest, sed juris Pontificii, quod subest dispensationi Papali. His concurrentibus, dispensatio in radice matrimonii est maxime favorabilis, quia spurium legitimat instar matrimonii in quibuscumque terris, et ad quæcumque officia ecclesiastica et politica, vimque suam habet, etsi parentes mortui sint, quia dispensatio ista non datur, ut matrimonium contrahatur, sed ut matrimonium invalidè contractum per retrotractionem fingatur validè fuisse contractum: ac proinde dispensatio in radice matrimonii difert à dispensatione facta per viam derogationis, dum Papa, derogando dispositioni c. 6. h. t. dispensat, ut filius spurius per subsequens matrimonium legitimetur.

*Dices*: Gregor. XIII, teste Navar., respondit: *Se dispensare non posse*: et Innoc. III. *cap. 13. hoc tit.* noluit dispensare in radice matrimonii.

R. Gregor. XIII. non ex defectu potestatis, sed causæ sufficientis dixit, se non posse dispensare: in *cap. 13. hoc tit.* fuit impedimentum ligaminis, quod est juris naturalis à Papa indispensabile.

5.<sup>o</sup> Matrimonium sine consensu liberorum præstat effectum legitimationis: ita comm. DD. contra Fach., Harpr., Kees etc. Nam consensus iste non requiritur jure Can. (*cap. 6. hoc tit.*), nec etiam jure civili; quia Nov. 89., c. 2. *l. fin. ff. de his qui sui*, non procedunt de legitimatione per matrimonium; sed quod filius naturalis, vel emancipatus invitus per rescriptum principis redigi non possit in patriam potestatem: imò si quid jura civ. in contrarium statuerent, jus Canonicum iis foret præferendum. Ratio etiam est, quia favor iste matrimonio concessus, est publicus, qui non pendet à consensu et pactis privatorum per *reg. lib. 38. ff. de pact.*—Nec obstat *lib. 69. ff. de R. J.*, quia invito beneficium dari potest, dum hoc ex natura actus, vel dispositione juris sequitur, sicut solutio debiti fieri potest pro invito (*l. 39. ff. de negot. gest.*)

112. Q. VI. *Quis sit effectus legitimationis per matrimonium?*

R. Ille præcipuus, quod liberi contractum matrimonium verè et propriè sint legitimi, et jura legitimorum consequantur, licèt illo tempore intermedio tam fictè legitimi fuerint: quo sensu explicantur illa verba: *legitimi habeantur*, *cap. 6. hoc tit.* Unde legitimi quoad gentem, nobilitatem et dignitatem sequuntur conditionem patris, non matris, jura successionis habent, capaces fiunt Ordinum et dignitatum ecclesiasticarum et sæcularium: denique ea omnia eis competunt, quæ filiis justis. Testimonium eis dari potest et debet, quòd nati sint ex legitimo thoro, honestisque parentibus: hæc enim omnia operatur fictio juris retrahens matrimonium ad tempus copulæ et conceptionis.—Excipe,—I. nisi specialiter caveatur, ne legitimi per matrimonium admittantur ad primogenituras et majoratus.—II. *Cardinalatum S. R. E.* ad quem legitimi non admittuntur ex Const. Sixti V. *Postquam* 1590. An verò legitimatus in primogenitura præferatur primogenito ex intermedio matrimonio nato, controvertunt Doctores.

113. Q. VII. *Qui illegitimi, et quo modo legitimari possunt per rescriptum Principis?*

R. 1.<sup>o</sup> Omnes illegitimi, etiamsi spurii sint, rescripto principis natalibus restitui possunt. Nam sicut principis auctoritate inducitur, ita eadem tolli potest defectus natalium. Ac proinde modus iste amplior est, cum se extendat etiam ad spurios: sed modus legitimandi per matrimonium est favorabilior et efficacior, ut ex dicendis patebit. Porro potestas legitimandi per rescriptum soli principi competit, ut Papæ, Imperatoribus et Regibus: ceteris verò ex privilegio, ut Electoribus S. R. I. Comitibus palatinis et Apostolicæ Sedis Legatis secun-

dum modum sibi præfixum: et ideo Comites palatini non possunt legitimare filios nobilium, nec ad feuda et majoratus.

2.<sup>o</sup> Ad legitimationem per rescriptum requiruntur seqq:—I. Ut legitimandus sit subditus legitimantis (*cap. 13. hoc tit.*)—II. Ut consentiat in sui legitimationem, eamque pater per libellum supplicem petat, vel saltèm in testamento (*Nov. 74. cap. 2. §. I. Nov. 89. cap. 9. §. et cap. 10.*)—III. Ut legitimari non possit per subsequens matrimonium (*ibid.*), quia habito remedio ordinario, non est recurrendum ad extraordinarium.—IV. Ut nulli adsint liberi legitimi; quia in eorum præjudicium princeps non censetur legitimare (*cit. Nov. 74. cap. 1. et 2.*) Si tamen princeps vult procedere de potestate absoluta, conditiones istæ non sunt necessariæ.

3.<sup>o</sup> Effectus legitimationis per rescriptum sunt tantum illi, qui substant potestati principis. Unde:—I. Legitimus per rescriptum Papæ fit habilis ad Ordines et officia Ecclesiastica, exceptis illis, quæ requirunt legitimam nativitatem, sicut episcopatus (*c. 7. princ. de elect.*) Canonicatus in Germania, officium Auditoris in Rota Romana. Et quamvis Papa subditos suos legitimare possit ad officia sæcularia, non tamen subditos aliorum principum, nisi via extraordinaria in casu gravissimæ necessitatis et in favorem fidei.—II. Principes politici suos subditos legitimare possunt ad officia secularia, aliosque effectus politicos, non tamen ad Ordines et beneficia Ecclesiastica. An verò legitimatus à suo principe habendus sit pro legitimo in territorio alterius principis, controvertunt DD. Affirmativa videtur satis probabilis; quia illegitimitas, cum non sit jure naturali constituta, inducitur à proprio principe; ergò ab eodem tolli potest: semel autem sublata, non reviviscit in alieno territorio.

114. Q. VIII. *Ad quem judicem spectet quæstio natalium?*

R. Ad Ecclesiasticum privativè, sive de illa agatur principaliter, sive incidenter (*cap. 5. h. tit.*) Nam quæstio ista est spiritualis pendens à valore matrimonii, de quo cognoscere est solius judicis Ecclesiastici. Unde si apud judicem laicum tractatur causa principalis de hæreditate, alimentis etc., et incidit quæstio natalium, debet supersedere in causa principali, donec ecclesiasticus cognoscat quæstionem incidentem de natalibus (*cit. c. 5. h. t.*), nisi esset mera quæstio facti, vel nisi quæstio esset super legitimatione per rescriptum principis.